

anni initio profectus Byzantium ubi pervenit, nihil eorum, quorum causa missus fuerat, impetrare potuit: rex enim ita respondit, pacem Veneti si velint, Methonem, Coronem, Naupliam, quæ haberent in Peloponneso oppida, sibi tradant, aurique libras centum stipendii nomine singulis annis dependant: alia se conditione pacem cum republica non facturum: itaque infecta re discescit.

Sed Manentio ab urbe profecto, quod nuncii afferebantur in Epiri finibus magnum Turcarum equitum numerum cogi, Senatus veritus eam manum superioris anni præda impunitateque allectam, in Carnos finesque reipublicæ esse venturam, Petrum Orium, Angelum Barotium legatos creavit, qui una cum Foro juliensium magistratu earumque rerum peritis regiones inviserent, & quibus in locis atque itineribus operæpretium esset, munitiones instituendas curarent, quibus hostes repelli possent: Livianumque cum equitibus, quibus præerat, & Gurlinum Ravennatem, qui priores ordines gerebat, cum militibus duobus millibus legatis dedit. Petrus etiam Marcellus, alter ex duobus in Gallico exercitu legatis, iussus cum copiis in Carnos proficisci. Turcæ tamen, propterea quod rex eorum ducem Byzantium evocaverat, se in Carnos non intulerunt. Aestate autem media, quod eadem rursus fama crebrioribus nunciis percrebruerat, parari hostium exercitum, qui sit in fines Reipublicæ impetum facturum, Nicolaus Ursinus cum magna copiarum parte, cumque Joanne Baptista Carratio militum omnium Reipublicæ præfecto, Senatu jubente in Carnos est profectus, omnesque ejus regionis incolæ se & sua in oppida & castella contulerunt. Hostes, vel quod loca communita scirent esse, vel quod iis in bellum Peloponnesiacum, de quo dicturi sumus, uti rex voluerit, ab incursionibus in eam reipublicæ partem se continuerunt. Manentius tantum ad urbem redierat, cum Patres Corcyræ insulæ veriti, propterea quod ea in potestatem hostium redacta, quæ oppidum munitum & portus egregios haberet, omnis Adriani maris navigatio, & in Ionium